

regula illa, quod quilibet præsumatur idoneus, potissimum procedit quoad intrinsecas, seu quoad qualitates intrinsecas, cum quibus homo nascitur; scilicet, quod aliquis sit castus, pacificus, sobrius, etc. Talem quippe idoneitatem præsumitur quis habere, donec contrarium probetur; ut inquit Glossa c. *Si forte*, 11, vers. *Scientia de Election.* in 6, sic intelligens jura n. 7, relata; et Menochius, lib. VI, de *Præsumptionib.* præsumpt. 91, n. 2, et seqq. citans alios, atque inde concludens, quod circa hæc non requiratur aliqua extrinseca probatio, sed (nisi constet de contrario) sufficiat ipsa juris præsumptio; dummodo princeps, ut puta Summus Pontifex non exigat præviam talem probationem per verba: «Si idoneus repertus fuerit,» aut hujusmodi. Secus dicendum est de idoneitate extrinseca, sive ubi agitur de scientia, arte cantandi, divitiis, ac hujusmodi qualitatibus, quæ accidentaliter proveniunt, et non insunt homini a natura: nam talia non præsumuntur, nisi probentur, Glossa loc. cit.; Abbas. d. c. *Cum in jure*, n. 2, de *Offic. delegat.*; Menochius, ubi supra, n. 16 et seqq. Mascardus cit. conclus. 879 n. 4, et alii, quos citant. Ergo hoc ipsum est dicendum in proposito quoad ordinandos; præsertim, cum talem probationem jura expresse requirant, dum exigant præviam scrutinium, sive examen eorundem circa genus, ætatem, doctrinam, et alia hujusmodi.

11. *Regula illa amplius declaratur.* — Tertio ad intelligendum, qualis ab alio debeat quis in dubio præsumi, est distinguendum eum Abbate Panormit. in cap. un. num. 7, h. t. Quia vel talis nihil petit, ad quod requiritur ejus habitus, vel idoneitas: et in dubio debet plus præsumi dignus, quam indignus, bonus potius, quam malus. Vel talis aliquid petit: et tunc quidem ejus idoneitas naturalis debet præsumi, dummodo non appareat in præteritum, vel in præsens de aliqua ejus inhabilitate; quia alioquin semel malus, seu idoneus, semper præsumeretur talis donec probaretur contrarium, juxta reg. 8 juris in 6. Secus dicendum de idoneitate accidentali sive extrinseca, ut proxime dictum. Unde sive quæretur de promovendis ad beneficia, vel ordines, sive de personis ad officia, vel dignitates sublimandis, ille qui talia petit dignus non præsumitur, nisi probetur: nam idoneitas ad ista, requirit plures qualitates, non solum intrinsecas, sed etiam extrinsecas, quæ non præsumuntur, sed de ipsis di-

ligenter est inquirendum. Abbas, cit. n. 7; Mascardus, ubi supra, n. 12, et seqq. et alii.

12. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Nec obstant rationes dubitandi, num. 7, allatæ. Nam præter generales responsiones quæ habentur ex dictis, specialiter ad cap. un. h. t. respondetur merito archidiacono, qui episcopo præsentat ordinandos, posse eos, quos indignos non novit, dignos existimare: quia præcessit horum diligens examen (cui etiam ipsemet archidiaconus de jure interesse debet, c. *Ut nostrum*, 9, de *Offic. archidiacon.*) atque approbatio per examinatores facta: sicque merito præsumuntur esse idonei, ac per archidiaconum æstimantur digni, nisi quem eorum aliunde noverit esse indignum. Et hoc ipsum procedit in aliis casibus, ubi aliunde apparent rationabilia motiva, seu conjecturæ sic existimandi, seu præsumendi; ut quia per alios quis est præsentatus ut idoneus, aut electus et confirmatus ut dignus, aut a viris probis, ejusque notitiam habentibus, recommendatus ut habilis: nam ob talia motiva rite præsumitur etiam extrinseca, et accidentaliter idoneitas, donec contrarium probetur; alias secus. Abbas ad cit. cap. ult. num. 7, atque innuit Glossa ibid. §. *Et scit.*; Menochius, cit. præsumpt. 91, n. 22, et alii.

13. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Ad c. *Dudum.* sive ult. de *Præsumpt.* dicitur cum Abbate ibid. num. 7, et Viviano in *Rationali juris*, ibi sermonem esse de idoneitate naturali, et intrinseca, quam quis non tenetur probare, cum præsumatur; sed qui contrarium objicit, ille tenetur hoc probare, ostendendo delictum, irregularitatem, aut hujusmodi, prout innuit Glossa finalis ibidem. Quod si vero nullus se opponat, tunc ante collationem ordinum, sicut et beneficiorum, episcopus, sive alius prælatus ex officio tenetur promovendum super talibus requisitis examinare; ut habetur c. *Accepimus*, 13, de *Ætate et qualitat. præficiend.* et concilio Tridentino, ubi supra, et alibi.

14. *Qua ratione idoneitas ordinandorum possit probari?* — Quæritur III. Qua ratione idoneitas ordinandorum possit probari? Resp. Id varie fieri posse, juxta conditionem, atque exigentiam singularum qualitatium. Et quidem qualitates intrinsecas, ut puta quod quis sit castus, justus, etc., licet prima facie præsumantur, tamen ut appareat, an de contrario non constet, juxta præscriptum concilii Tridentini, ac receptam praxim Ecclesiæ, solent exigi litteræ testimoniales proprii præ-

ceptoris, magistri, parochi, vel alterius legitimi superioris, super vita et institutione, moribusque ordinandorum, quas etiam hi episcopo, seu constituti ab ipso examinatores exhibere, sicque morum prohibitum, quoad externum saltem judicium humanum probare coguntur: nam interiora relinquuntur judicio divino.

15. *Natales, ætas, libertas, titulus, etc.; quomodo probentur?* — Deinde natales, atque ætas solent probari ex attestacione parochi, ac schedula baptismali. Libertas autem per publicum testimonium magistratus loci, unde quis oriundus est: quanquam, si ob incursum hostium liber baptismalis periisset, vel ad patriam aditus non pateret, etiam probatio per testes, et famam, concurrentibus præsertim aliis indicis, sufficere possit; prout accidit in aliis, quæ sunt difficilis probationis. Porro titulus competens sustentationis, per instrumentum authenticum (nisi de ipso per facti notorietatem constet) doceri debet. Doctrina vero, non per testes, aut famam, sed per prævium examen probanda est. Denique corporis integritas per experimentum sensuum cognoscitur: immunitas autem a censuris, et irregularitate, non aliter probatur, nisi ex assertione ordinandi, et quod nullus adsit, qui impedimentum canonicum objicere ac probare valeat. Pirhing, h. t. n. 4.

16. *Cur libertas sit probanda, cum tamen omnes homines naturaliter nascantur liberi?* — Dices: Omnes homines naturaliter liberi nascuntur, § *Jus autem gentium. Instit. de jure natur. gent. civil.* Ut quid ergo requiritur probatio libertatis suæ facienda ab ordinando, per testimonium magistratus loci? Resp. id accidere ex eo: quia, quamvis libertas homini naturaliter conveniat, nihilominus tamen jure gentium ad compescendos malos, aliisque justis de causis, servitus fuit introducta, can. *Jus gentium*, dist. 1, sicque nonnulli nascuntur servi, qui cum absque consensu dominorum suorum ordinari prohibeantur, merito per ordinandum inter alias qualitates extrinsecas, vel accidentales, libertas est probanda, vel saltem scripta suorum dominorum licentia afferenda, ne alioquin quandoque servos ordinari contingat, quos in magnam confusionem Ecclesiæ, et scandalum fidelium, suis postea dominis reddi oporteret, prout amplius infra, tit. de *Servis non ordinandis* dicitur.

TITULUS XIII.

De Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — A proprio episcopo sacros ordines esse recipiendos, jam supra tit. X, de *Temporibus ordinationum*, § 4, n. 77, et seqq. dictum fuit; restat examinare, quid juris sit, si is renuntiaverit episcopatu, aut excommunicatus existat. Et de his ambobus agitur in præsentis titulo; unde,

2. *Renuntiatio episcopatus potest fieri dupliciter.* — Quæritur I. Quot modis possit fieri renuntiatio episcopatus? Resp. I. Dupliciter ipsa potest fieri, renuntiando videlicet loco tantum, et renuntiando loco et dignitati simul. Ita est textus expressus in cap. 1, h. t. ac notat communis doctorum. Et quidem tunc episcopus renuntiat loco tantum, quando is ex rationabili causa, puta ob conceptum malæ plebis erga se odium, seu ob hostilitatem, vel aeris intemperiem, episcopatum in manus Pontificis renuntiando, dimittit diocesin dumtaxat, titulum tamen episcopalem et auctoritatem retinet. Tunc autem loco et dignitati simul renuntiat, quando ob zelum v. g. ingrediendæ religionis, vel ut præveniat promeritam depositionem, resignat ipsum episcopale munus, nomen, atque ordinis executionem, dimittendo in manus Summi Pontificis omne jus episcopalis administrationis respectu cujuscumque loci, quamvis ordinis adhuc retineat ea, quæ sunt episcopalis ordinis.

3. *Episcopus simpliciter renuntians, an in dubio censeatur renuntiasse loco tantum, vel loco et dignitati simul?* — Resp. II. Episcopus simpliciter renuntians episcopatu, censeatur in dubio renuntiasse loco tantum, non autem loco et dignitati simul; nisi propter criminis conscientiam, seu ex metu depositionis ita renuntiaverit. Ita Hostiensis in *Summa*, h. t. § *Sed qui, si simpliciter*, et Abbas eod. n. 8. Ratio est: quia renuntians, stante dubio, manet in possessione episcopalis dignitatis; sicque ei, qui contrarium dicit, incumbit probatio. Dummodo hinc excipiat renuntiatio facta ab episcopo ob criminis conscientiam: quia tunc is non præsumitur sibi episcopalem

dignitatem, atque ordinis executionem retinuisse: utpote quam licite exercere non posset, quin potius ab hac cum publico dedecore ob crimen illud deponi deberet.

4. *Qui renuntiavit episcopatu quoad locum tantum, potest conferre ordines, etiam majores.* — Quæritur III. An recte conferantur ordines ab eo, qui renuntiavit episcopatu? Resp. I. Qui renuntiavit episcopatu quoad locum tantum, potest rogatus ab alio episcopo conferre ordines, etiam majores, sicut prius. Ita expresse habetur decisum cap. 1, h. t.

5. *Dummodo sit rogatus ab alio episcopo. Alioquin ordinati ab eo sunt suspensi, et cur?* — Ubi tamen notanter additur, «rogatus ab alio episcopo.» Alioquin enim, sicut episcopus facta semel episcopatus resignatione, eaque per Papam admissa, nullos habet subditos, ita nec ordines licite confert, cum hi dumtaxat subditis rite conferantur, nisi licentiam concesserit proprius episcopus, ut sui subditi ordinentur ab alio; prout fit, si is rogaverit episcopum, qui loco tantum renuntiavit, ut is vices ejus supplendo, quosdam ordinare velit. Quod si secus fiat, tunc ordinati sunt suspensi: non quia sunt ordinati ab episcopo post suam renuntiationem, sed quia sunt ordinati ab episcopo alieno sine proprii episcopi licentia, Suarez, disp. 31, de Censuris, sect. 1, num. 3; Pirhing, h. t. num. 3.

6. *Renuntians episcopatu quoad locum et dignitatem simul, nequit licite ordines sacros conferre.* — Resp. II. Quando episcopus renuntiavit tam loco, quam dignitati, tunc sacros ordines, etiam de licentia proprii ordinandorum episcopi, licite conferre non potest: si tamen de facto ordinaverit, valide quidem ordinat (nam characterem ordinis episcopalis indelebilem; sicque potestatem valide conferendi ordines, a se abdicare non potuit) ordinis tamen executionem non confert; id est, ordinati ab eo sunt suspensi ab usu ordinum receptorum, donec cum eisdem legitime fuerit dispensatum. Ita rursus habetur decisum in cit. cap. 1, h. t. estque concursus doctorum sententia.

7. *Bene tamen ordines minores de licentia alterius episcopi.* — Dicitur notanter, «sacros ordines.» Nam ordines minores licite, de consensu tamen proprii episcopi per ipsum conferuntur: «quia et hujusmodi ordines a non episcopis conferuntur,» ut loquitur textus ibidem. Sic quippe abbatibus jam ab antiquo fuit concessum, conferre primam ton-

suram, ac ordines minores suis regularibus; ut can. *Quoniam*, dist. 69, et cap. 1, de *Supplend. neglig. prælat. et c. Cum contingat. de Ætate et qualit. præficiend.* ac paulo inferius ex professo dicitur.

8. *Quid juris, si quis ordinetur ab episcopo excommunicato?* — Quæritur III. Quid juris, si quis ordinetur ab episcopo excommunicato? Resp. De hoc habetur expressum in cap. ult. h. t. sequentibus verbis: «Cum clericis qui ab excommunicato episcopo ignoranter ordines receperunt, per suos poterit episcopos dispensari.» Hæc ibi.

9. *Talis recipit characterem ordinis, sed non ejus executionem.* — Infertur proinde, quod ordinatus ab episcopo excommunicato recipiat quidem characterem ordinis, non tamen hujus executionem. Quia cum episcopus excommunicatus (idemque est in suspenso, deposito, degradato, simoniaco, hæretico vel schismatico ut inquit Navar. cap. xxvii *Manual.* num. 242, § *Quarto*) ordinis executionem non habeat, nec aliis eam dare potest: nemo enim dat, quod non habet, can. *Daibertum*, 1, q. 7, cum similibus.

10. *Ignoranter sic ordinatus, quando id nescierit, debet abstinere ab executione ordinum, donec per episcopum suum dispensetur.* — Igitur, qui ignoranter ordinatus fuit ab episcopo excommunicato, suspenso, etc. cum primum id resciverit, tenetur ab usu seu executione ordinum sic receptorum abstinere, donec per proprium episcopum dispensetur; utpote qui ipsum a tali suspensione absolvere, seu dispensare potest, per cit. cap. ult. h. t.

11. *Et cur ipsum non excuset ignorantia?* — Nec obstat, quod alioquin ignorantia excuset a contrahenda censura. Nam impresentiarum suspensio memorata, seu potius inhabilitas exercendi actum ordinis taliter suscepti, non est imposita ob culpam ordinati (ab hac enim supponitur excusari propter suam ignorantiam), sed ob indignitatem male ordinantis. Layman ad cit. cap. ult. n. 2, h. t. Barbosa, part. II de *Offic. et potest. episc.*, allegat. 48, n. 2, et alii.

12. *Scienter ordinatus ab episcopo excommunicato, per solum Papam potest dispensari.* — Resp. II. Quod si vero clericus scienter, aut per ignorantiam crassam, vel supinam ordinatus fuerit ab episcopo excommunicato, tunc per solum Papam poterit cum eo dispensari. Ita colligitur ex cit. cap. ult. h. t. argumento a sensu contrario desumpto: et concordat cap. 1, eod.

13. *Præmissa de facto procedunt de episcopo excommunicato vitando, et ordinatis ab eo.* — De facto tamen post Extravag. concilii Constantiensis, *Ad vitanda*, requiritur ad hoc, quod episcopus ob crimen suum, vel censuram, fuerit nominatim denunciatus, aut notorius existat percussor clericis: alioquin enim sicuti de facto vitandus non est, ita ejus ordinatio non inducit inhabilitatem exercendi ordines ex parte ordinati. Navarrus cit. n. 244, Sylvester §. *Interdictum*, quæst. 7; Layman, d. cap. ult. n. 1, h. t. Verum occasione dictorum n. 7,

14. *Ex privilegio Papæ an possit abbas, vel alius sacerdos conferre ordines, præsertim sacros? Proponuntur rationes dubitandi, et negativam tenendi.* — Quæritur IV. Utrum ex privilegio, seu commissione Papæ possit abbas, vel alius sacerdos conferre ordines, præsertim sacros? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, est: quia solus episcopus ex Christi institutione est ordinarius minister sacramenti ordinis, etiam comprehendendo ordines minores, juxta concilium Florentinum in *Decreto unionis*, et Tridentinum, sess. 23, cap. iv, et can. vii; atqui Papa nihil potest concedere contra Christi institutionem; ergo. Accedit, quod præsertim ordines sacri proximus versentur circa conficiendum sacramentum corporis et sanguinis Christi, dum sacerdos illud immediate consecrat, diaconus vero et subdiaconus proxime ministrant sacerdoti celebranti; ergo hæc ipsa causa ordines sacri ex Christi institutione videntur exigere pro sua collatione ministrum digniorem, nempe solum episcopum. His tamen non obstantibus,

15. *Papa potest concedere abbati vel alii sacerdoti potestatem conferre ordines minores.* — Resp. I. Potest Summus Pontifex ex speciali privilegio, seu delegatione, concedere abbati, aut alteri sacerdoti non episcopo potestatem conferendi primam tonsuram, ac ordines minores. Ita communis: et patet ex can. *Quoniam*, dist. 69, et c. *Cum contingat. 11 de Ætate et qualitat. præficiend.* ubi talis potestas legitur jam ab antiquo concessa abbatibus respectu suorum regularium. Concordat c. *Statuimus*, 1, de *Supplend. neglig. prælat.* ubi expresse conceditur, quod si episcopus ter humiliter requisitus, noluit abbati dare benedictionem, iste nihilominus possit conferre propriis monachis lectoratum, quia tunc hæc facultas competit abbati illi ex Apostolicæ Sedis indulto, haud obstante quod sit simplex sacerdos, et necdum benedictus.

16. *Hæc potestas non est annexa jure divino benedictioni abbati.* — Nec urget, quod in c. *Cum contingat. 11, de Ætate et qualitat. præficiend.* ad hoc, ut abbas possit conferre ordines minores, requiratur quod sit benedictus. Resp. enim, istud procedere regulariter: secus, ubi intervenit specialis concessio Pontificia, ut ibi. Quia, ut recte notat Fagnanus in cit. c. *Statuimus*, n. 6 de *Supplend. neglig. prælat.* etiam abbatum benedictioni solemnæ non ex natura rei, seu jure divino, annexa est potestas conferendi ordines minores, sicuti est annexa ordini episcopali; sed ex antecedenti dumtaxat Ecclesiæ, seu Sedis Apostolicæ indulto id provenit, de quo fit mentio in can. *Quoniam*, dist. 69, cum similibus.

17. *Loquendo de ordinibus sacris multi negant, id fieri posse ex privilegio Papæ.* — Resp. II. Utrum potestas conferendi ordines sacros possit ex privilegio, seu delegatione Papæ competere sacerdoti non episcopo, variant doctores. Et quidem sententiam negativam tenet divus Thomas in 4, dist. 23, q. 1, art. 1, ad 3, et in supplement. quæst. 38, art. 1, ad 3; Covarruvias, lib. I. *Var. resolut.* cap. x n. 9; Barbosa, part. II, de *Offic. et potest. episc.*, allegat. 3, n. 4, citans plures alios; Zoësius, h. t. n. 7, et Fagnanus in c. *Statuimus*, n. 3, de *Supplend. neglig. prælat.* post Sylvestrum §. *Ordo*, 3, n. 7, asserens, quod hæc sententia servetur in practica. Idque videtur suadere major sanctitas horum ordinum, et quod immediatis versentur circa conficiendum corpus et sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ.

18. *Sententia affirmativa est probabilior quoad subdiaconatum, et diaconatum.* — Contra sententiam affirmativam, seu quod ex privilegio sive declaratione Papæ possit abbas, vel alius simplex sacerdos, conferre ordines majores, saltem intelligendo istud de subdiaconatu, et diaconatu, videtur probabilior. Et hanc sententiam tenet Emmanuel Rodericus, tom. I. *Quæst. regul.* quæst. 18, art. 3; Engel, tit. de *Temporib. ordinat.* § 2, n. 42, eamque probabilem censet Pirhing, eod. tit. de *Temp. ordinat.* n. 48; Tannerus, tom. IV *Theolog. disp.* 7, quæst. 3, num. 30; Barbosa lib. I, *Jur. eccles. univ.* cap. xi, n. 51, et in *Collect.* ad c. *Quanto*, 4, n. 5, de *Consuetud.* allegans insuper pro hac sententia Turrianum in addit. ad concil. Nicænum, cap. iv, et Victoriam in *Summa*, n. 235, ubi testatur se legisse in quadam bulla concessionem de hoc factam abbatibus Cisterciensibus. Idem

tenet Vasquez, de Sacram. ordinis. disp. 248. cap. IV, n. 41, asserens se aliam inspexisse bullam, in qua Innocentius VIII, prædictum privilegium Cisterciensibus concessit. Atque hoc ipsum privilegium refert per totum Emmanuel Rodericus in collectione bullarum Apostolicarum pro regularibus, bulla 5 Innocentii VIII, quæ incipit: *Exposcit tuæ*, data Romæ 1489, 5 idus aprilis: ubi, ne monachi Cistercienses pro suscipiendis subdiaconatus, et diaconatus ordinibus, extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, idem Pontifex § 5, abbatibus Cisterciensibus expresse concessit, « ut suorum monasteriorum religiosis subdiaconatus et diaconatus ordines rite conferre valeant. » Atqui de Summi Pontificis iudicio non licet alicui disputare, can. *Si quis, suadente*. § *Qui autem*, 17, q. 4. Quinimo quod Papa statuit, sic debet reputari ac si de ore Christi, cuius est vicarius, et divi Petri processisset, can. *Sic omnes*, dist. 19. Unde quod ex delegatione Papæ possit sacerdos non episcopus conferre ordinem, subdiaconatus et diaconatus, stante dicta concessione pontificia negari non potest; alioquin Papa gravissimi argueretur erroris, quod absit. Accedit ratio, quia potest Summus Pontifex habilitare abbates, aliosque sacerdotes ad consecrationes Ecclesiarum et altarium, imo ad sacramentum Confirmationis impertiendum baptizatis: cur ergo non idem poterit facere respectu collationis dictorum ordinum? Nam jure ordinario tam illi, quam iste, sunt actus ordinis episcopalis specialiter reservati.

19. *Secus quoad sacerdotium*. — Additur notanter in conclusione, « saltem intelligendo istud de subdiaconatu et diaconatu. » Nam quoad sacerdotium sententia negativa est receptissima, ut inquit Barbosa in cit. c. *Quanto*, n. 5, de *Consuetud.* quidquid contradicat Glossa fin. in can. *Manus quoque, de Consecr.*, dist. 5; Abbas in d. c. *Quanto*, n. 9, de *Consuetud.*; Innocentius, ac nonnulli alii, quos in oppositum citat Tannerus, ubi supra num. 29. Neque enim ullum hactenus reperitur exemplum, in quo summus Pontifex abbati, aut alteri non episcopo, concessit privilegium, seu potestatem delegatam conferendi ordinem presbyteratus: unde comprobatur usus Ecclesiæ antiquissimus, Christi institutionem per perpetuam traditionem a temporibus Apostolorum retentam satis declarans. Nec etiam a quopiam catholicorum negatur, quod ordo presbyteratus præ aliis,

immediatus versetur circa verum corpus Christi in sacramento Eucharistiæ existens, utpote quod sacerdos immediate consecrando conficit; non autem subdiaconus, et diaconus, qui materiam dumtaxat ministrant sacerdoti celebranti.

20. *Presbyter olim idem erat ac episcopus*. — Objicies cum Abbate cit. n. 9: Antiquitus presbyteri in communi regebant Ecclesiam, et ordinabant sacerdotes; ergo etiam de facto, saltem ex privilegio, et delegatione Pontificia poterunt id ipsum facere. Resp. neg. consequent. Nam, ut in can. *Olim*, dist. 95, dicitur. « Olim idem erat presbyter, qui et episcopus: » unde non mirum, quod tunc presbyteri legantur ordinasse sacerdotes. Alioquin vero, quod respectu collationis ordinum valde differat presbyter ab episcopo, patet ex can. *Legimus*, dist. 93, ubi dicitur: « Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non facit? » ponderando ly « excepta ordinatione. »

21. *Solvuntur rationes dubitandi*. — Ad rationes dubitandi n. 14, allatas, et ad primam earum dicitur, episcopos ex Christi institutione esse quidem « ordinarios ministros, » sacramenti Ordinis, etiam comprehendendo ordines minores; inde tamen non sequi, quin « extraordinarius minister » ipsius, seu ex speciali Papæ commissione datus (dempto sacerdotio) possit esse abbas, vel alius sacerdos.

22. *Confirmationis sacramentum ex concessione Papæ potest conferri per simplicem sacerdotem*. — Declaratur hoc ipsum in simili. Quia juxta concilium Tridentinum, sess. 7. de *Confirmatione*, can. 3, sanctæ Confirmationis ordinarius minister est solus episcopus: et tamen illius collatio potest per Papam de plenitudine potestatis demandari simplici sacerdoti: uti habetur can. *Pervenit*, dist. 93 ac notat Glossa in c. *Quanto*, § *Reservata de Consuetud.* divus Thomas part. III, quæst. 72, art. 11, ad 1; Scotus, in 4, dist. 7, quæst. 1. et communis aliorum, juncto concilio Florentino in *Decreto unionis*, hoc ipsum contentente.

23. *Præmissa amplius declarantur*. — Ad alteram rationem dubitandi negatur consequentia, loquendo de casu, in quo Papa de plenitudine potestatis vult committere sacerdoti cuiquam facultatem conferendi ordines minores, vel subdiaconatum et diaconatum; uti liquet ex allatis hactenus instantiis. Quia enim Summus Pontifex, Christi in terris vica-

rius habet in Ecclesia plenitudinem potestatis, hinc virtute hujus potestatis quædam, quæ sunt superiorum ordinum, justis de causis committere quibusdam inferioribus; ut proxime exemplificatur de collatione sacræ Confirmationis, ac notat divus Thomas ut supra.

TITULUS XIV.

De Ætate, et Qualitate, et Ordine Præficiendorum.

1. *Ratio continuationis titularum*. — Viso de ordinandis, restat dicere de præficiendis, hoc est, promovendis ad Ecclesias, prælaturas, aliaque beneficia, et ministeria ecclesiastica: et quia in istis vel maxime consideranda venit legitima ætas, et qualitas, ac ordo ad singulorum beneficiorum consecutionem de jure requisitus, ideo de istis tribus expressam præsens rubrica mentionem facit. Unde

2. *Generatim loquendo, quales sunt præficiendi, seu promovendi ad beneficia? Melius est paucos habere dignos altaris ministros, quam multos inutiles*. — Quæritur I. Quæ qualitates requirantur in præficiendis, seu promovendis ad beneficia ecclesiastica? Resp. I. Generatim loquendo tales sunt præficiendi, seu ad ministerium eligendi clerici, « qui digne possint Dominica sacramenta tractare. Melius est enim Domini sacerdotem paucos habere ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant. » Ita rescribit sanctus Clemens Papa ad sanctum Jacobum fratrem Domini, *Epist.* 2, ac refertur can. *Tales*, dist. 23.

3. *In promovendis ad beneficia, præsertim curata, requiritur debita scientia, morum honestas et legitima ætas*. — Resp. II. Loquendo magis in specie, ex parte præficiendorum seu promovendorum ad beneficia ecclesiastica, præsertim curata, requiritur debita scientia, morum honestas, et legitima ætas. Patet hoc ex c. *Eam te*, 4, h. t. ubi Alexander III acrius inhibet, ne quis episcoporum personas, quæ in Ecclesiis sui episcopatus ad curam animarum fuerint ordinandæ, in ipsis instituat, « nec aliqua occasione, vel etiam litterarum Apostolicarum obtentu institui patiat, quæ scientia, moribus, ætate, concilii non congruant institutis. » Ubi sub nomine *Concilii* intelligitur

concilium Lateranense, sub Alexandro III celebratum, ac refertur c. *Cum in cunctis*, 7, de *Electione*.

4. *Si Papa rescribit pro non habente dictas qualitates, an, et quando talis sit instituendus in beneficio?* — Dices: Ille, pro quo Papa rescribit, semper est admittendus ad beneficium; quia illicitum est judicare primam Sedem, can. *Si Papa*, dist. 40, et can. *Nemo judicabit*, 9, q. 3. Imo et sæcæ legi instar est, illum reputare inhabilem, pro quo Papa rescribit; ut l. *Disputare*, C. de *Crimine sacrilegii*. Quomodo ergo in cit. cap. *Eam te*, dicitur, nec litterarum Apostolicarum obtentu quempiam, dictis qualitatibus carentem, instituendum esse in beneficio? Resp. cum Glossa, ibid., § *Litterarum*, et Abbate, num. 7, antecedens esse verum, quando Papa ex certa scientia rescribit pro inhabili; tunc enim cum hoc dispensare censetur, sicque mandato ipsius erit obediendum. Secus est dicendum, quando tacita inhabilitate, sicque subreptitie, super conferendo beneficio litteræ Apostolicæ impetrantur: atque in hoc casu procedit textus allegati capituli.

5. *Quando Ecclesia dispensative conceditur minorenni, debet ipsa interim non per laicos, sed clericos regi*. — Quod si vero Ecclesia dispensative minorenni fuerit concessa, prout nonnunquam Papa dispensare consuevit circa filios potentissimorum principum in ordine ad obtinendos episcopatus; tunc ejusmodi Ecclesia non per laicos, sed per clericos regi debet, donec ille ad legitimam ætatem pervenerit. Textus, et doctores in c. *Ex ratione*, 2, h. t. Licet enim laicis possit specialis procuratio aliquarum rerum temporalium ab Ecclesia committi, arg. can. *Indicatum*, dist. 89, et notat Vivianus, in *Rationali*, cap. II, h. t. post Innocentium, ibid., generalis tamen administratio Ecclesiarum eis committi non potest, sed dumtaxat clericis; ut can. *In nona*, et seqq., 16, q. 7, ubi plures hujus rationes adducuntur.

6. *Plura in præficiendis requisita. Remissive*. — Resp. III. Qualis litterarum scientia, qualisque ætas in promovendis, seu eligendis ad prælaturas, beneficia, et officia ecclesiastica requiratur, satis atque ex professo dictum est supra, tit. *De Electione*, § 9, a n. 205, usque ad n. 217. Ubi pariter n. 204, et n. 218, et seqq. declarantur qualitates illæ, quæ ad morum honestatem pertinent, seu hanc commendant, ut est: I. thorus legitimus; II. status clericalis; III. sacer ordo, ad nonnulla